



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,  
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1678**

Epistola Boamundi Principis Antiochiæ, Raymundi Comitis sancti Ægidij,  
Godefridi Ducis Lotharingiæ, ad Vrbanum II. Papam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14688**

L I B E R P R I M V S.

415

Q U I S Q U I S ] In Colbertinis scriptum est *Quia quis*.

H A B I T U R U M P O R T . ] Eadem exemplaria habent portionem habere.

D A M N A V I T ] Hæc vox & quæ sequuntur usque ad vocem *condemnavit* non extant in eisdem exemplaribus, & videntur superflua.

P L E N I S S I M O I A M V I G O R E ] Ita codices Col- bertini. At regius habet *plenissimum jam vigorem*.

V E N D I , V I D E T U R ] Retinuimus lectionem codi- cis regij. In uno Colbertino scriptum est : *vendi videtur quid est aliquid dicere nisi aut penitus nihil sapere*. in alio, ubi vox *vendi* non extat, ita legitur hic locus : *quid ut aliquis aliud dicere, nisi autem penitus nihil sapere*.

N E U T . V E N D . D E R E L . ] Ita Colbertini. Regius : *neutrūm non vendit non derelinquit*.

S E M E L O R A M U S ] Colbertini simpliciter, audimus.

E p i s t o l a Boamundi P r i n c i p i s A n t i o c h i æ , R a y-  
m u n d i C o m i t i s s a n c t i Æ g i d i j , G o d e f r i d i D u-  
c i s L o t h a r i n g i æ , R o b e r t i C o m i t i s N o r m a-  
n i æ , R o b e r t i C o m i t i s F l a n d r e n s i s , & E u-  
s t a c h i j C o m i t i s B o l o n i æ a d V r b a n u m I I .  
P a p a m .

D O M I N O & venerabili Papæ Urbano Bo-  
mundus & Raymundus Comes sancti Ægidij, Anno 1098.  
ac Godefridus Dux, Robertusque Comes Nor-  
manniæ, atque Robertus Comes Flandrensum, &  
Comes Boloniæ, salutem & fidelia servitia, & ut  
filij suo patri spirituali veram in Christo subjectio-  
nem. Volumus omnes & desideramus notum vo-  
bis fieri quām magna Dei misericordia quāmque  
evidentissimo ipsius Dei adminiculo à nobis capta  
est Antiochia, & Turci, qui multa Domino nostro  
Iesu Christo intulerant opprobria, capti & inter-  
fecti sunt, & nos Hierosolymitani Iesu Christi in-  
jurias summi Dei vindicavimus, & nos, qui Tur-

cos prius obsidendo deviceramus , qualiter postea  
à Turcis de Chorasan & Hierusalem & Damasco  
multisque alijs terris venientibus obseSSI fuimus , &  
quomodo tandem misericordia Iesu Christi libera-  
ti sumus . Cùm igitur capta Nicæa , illam maximam  
multitudinem Turcorum , sicut audistis , in Kalen-  
dis Iunij nobis obviam in valle Doretillæ devici-  
semus , & illum magnum Sullimannum fugavisse-  
mus , suisque hominibus & terra ac rebus expolias-  
semus , adquisita & pacificata tota Romania , ad  
obsidem Antiochiam venimus . Quia obseSSa ,  
multa mala perpeSSI sumus , tum de bellis summo-  
rum Turcorum & paganorum nobis tam frequen-  
ter & copiosè irruentium ut verius diceremur ob-  
seSSI quam quos in Antiocheno civitate obsede-  
mus . Tandem omnibus bellis superatis , eorumque  
eventu Christiana fide exaltata , ego Boamundus  
conventione facta cum quodam Turco qui mihi  
ipsam tradidit civitatem , scalas parum ante diem  
cum multis Christo militantibus muro applicui , &  
ita civitatem antea Christo resistenter 111. No-  
nas Iunij accepimus , & ipsum Cassianum ipsius ci-  
vitatis tyrannum cum multis suorum milibus inter-  
fecimus , eorumque uxores & filios ac familias cum  
auro & argento & omnibus eorum possessionibus  
retinuimus . Asylum autem Antiochenum à Turcis  
præmunitum habere non potuimus . Sed cùm in  
crastino ipsum asylum aggredi voluissimus , infini-  
tam multitudinem Turcorum , quam multis diebus ,  
ad nos bellandum venturam extra civitatem expe-  
ctaveramus , per omnes campos discurrentem vidi-  
mus . Qui tertia die nos obsederunt , & asylum præ-  
dictum plusquam centum milia eorum intraverunt ,  
ac per porram ejusdem asyli ad civitatem sub asylo  
constitutam nobis illisque communem irrumpe-  
voluerunt . Sed nos in alio monte consistentes ipso  
asylo

asylō opposito , viam inter utrumque exercitum ad civitatem descendētēm , ne ipsi nobis multō plures irrumperent , custodientes , & intus & extra nocte & die debellantes , portas ad civitatem asyli intrare & ad castra remeare compulimus . Cūn ergo vidissent quōd ex illa parte nocere nobis nihil possent , ita nos ex omni parte circumierunt ut nulli ex nostris exire vel ad nos venire potuerint . Quare ita desolati & afflīcti fuimus quōd fame & alijs multis angustijs morientes , equos & asinos nostros famelicos interficiētēs multi nostri comedērunt . Sed interim clementissima misericordia omnipotētis Dei nobis subveniente & pro nobis vigilante , dominicam lanceam , qua latus Iesu Christi Longini manibus perforatum fuit , sancto Andrea Apostolo cuidam famulo Dei ter revelante & ipsum locum ubi lancea jacebat demonstrante , in Ecclesia beati Petri Apostolorum principis invenimus . Cujus inventione & multis alijs divinis revelationibus ita confortati & corroborati fuimus ut qui antea afflīcti & timidi fueramus , tunc ad bellum faciendum audacissimi promptissimique , alij alias hortabamur . Igitur tribus hebdomadibus & quatuordiebus obfessi , in vigilia Apostolorum Petri & Pauli , in Deo confidentes , & de omnibus iniquitatibus nostris confessi , petentes portas civitatis cum omni exercitu nostro bellico , ad portas exivimus ; ac tam pauci eramus quōd nos ipsi non nos pugnare contra eos sed fugere affirmabant . Nos autem omnibus paratis , & tam peditibus quam militibus certis ordinibus dispositis , ubi major virtus & fortitudo eorum erat audacter requisivimus cum dominica lancea , & à prima belli statione fugere coēgimus . Ipsi autem , ut mos eorum est , se undique dispergerē cōperunt , & colles occupando & vias ubicunque poterant appetendo , nos girare voluerunt , quia

Vide VVilel.  
Tyr. lib. 6.  
c. 14.

Ibid. c. 12.

D d

sic nos c̄mnes interficere putaverunt. Sed nob̄ multis bellis contra eorum calliditates & ingeni edoctis ita gratia Dei & misericordia subvenit ut qui paucissimi ad eorum comparationem eramus, omnes illos in unum coēgimus, & coactos, dextra Dei nobiscum dimicante, fugere & castra cum omnibus quae in castris erant relinquere compulimus. Quibus victis totaque die insecuris, & multis milibus eorum interfectis, ad civitatem lati & hilares remeavimus. Asylum autem suprascriptum Admirabilis quidam, qui in eo erat cum mille hominibus, Boamundo reddidit. Et ita Dominus noster Iesus Christus totam civitatem Antiochenam Romanæ religioni & fidei mancipavit. Sed quis

Idem lib. 6.

c. 1.

semper solet aliquid mœstum latet intervenire rebus, ille Podiensis Episcopus, quem tuum Vicarium nobis commiseras, bello pœacto, in quo honestus fuit, & pacificata civitate, Kalendis Augusti motuus est. Nunc igitur filij tui patre commisso orbe, tibi spirituali patri nostro mandamus ut qui hanc viam incepisti, & sermonibus tuis nos omnes terras nostras & quicquid in terris erat relinquere fecisti, & crucem bajulando Christum sequi præcepisti, & Christianum nomen exaltare communiuisti, complendo quae hortatus es ad nos venias, & quod cunque poteris ut tecum veniant summoneas. Hinc enim Christianum nomen sumpsit exordium. Postquam enim beatus Petrus in cathedra quam cotidie cernimus inthronizatus fuit, illi qui prius vocabantur Galilæi, hic primum & principaliter vocati sunt Christiani. Quid igitur in orbe rectius esse videtur quam ut tu, qui pater & caput Christianæ religionis existis, ad urbem principalem & capitalem Christiani nominis venias, & bellum quod tuum est proprium ex tua parte conficias. Nos enim Turcos & paganos expugnavimus. Hæreticos an-

tem Græcos, & Armenos, atque Syros, Iacobitas.  
que expugnare nequivimus. Mandamus igitur &  
remandamus tibi carissimo patri nostro ut tu, pater,  
ad tuæ paternitatis locum venias; & qui sancti Pe-  
tri es vicarius, in cathedra sancti Petri sedeas, &  
nos filios tuos in omnibus rectè agendis obedien-  
tes habeas; & omnes hæreses, cuiuscunque gentis  
sint, tua auctoritate & nostra virtute eradices &  
destruas; & sic nobiscum viam Iesu Christi à nobis  
inceptam & à te prædicatam perficias, & etiam  
portas utriusque Hierusalem nobis aperias, & se-  
pulchrum Domini liberum atque Christianum no-  
men super omne exaltatum facias. Si enim ad nos  
veneris & viam perte inceptam nobiscum perfe-  
cis, totus mundus tibi obediens erit. Quod ipse te  
facere faciat Deus qui vivit & regnat in secula se-  
culorum. Amen. Mihi quidem relatum est unum  
quod valde Deo omnib[us]que Christicolis contra-  
rium est, quòd signati sancta cruce à te licentiam  
habeant inter Christicos morari. Quod multūm  
miror. Quia tu inceptor sancti itineris cùm sis, dif-  
ferentes sanctum iter à te consilium vel aliquid boni  
habere non debent, nisi cœptum iter adimpleant. Et  
non est nobis opus ut bonum quod cœpisti distur-  
bes, sed etiam tuo adventu & omnium bonorum vi-  
torum, quoscunque poteris adducere tecum, nos  
corrobores. Decet enim ut nos Dei auxilio tuisque  
sanctis precibus adquisitores totius Romaniae, Cili-  
ciae, Asiae, Syriae te habeamus post Deum adjutorem  
& subvenientem. Tu vero nos filios per omnia tibi  
obedientes, pater piissime, debes separare ab injusto  
Imperatore, qui multa bona promisit nobis, sed  
minime fecit. Omnia enim mala & impedimenta  
quæcunque facere potuit nobis fecit. Hæc carta fuit  
scripta x i. die intrante Septembrio, Indictione  
1111.

viii.

D d ij